

fas antiqui scriptores abeunt sententias, quas omnes ac singulas recen-
fere et exponere huius loci non esse videtur; certum tamen est, in eo
omnes fere medii aevi scriptores consentire; fuisse mansum *portionem*
aliquam terrae, quae per annum sufficeret duobus hominibus — (alii ma-
lunt: — *bobus*) *ad laborandum.* l) Eiusmodi mansus, qui ecclesiae in
dotem dari solitus, atque eandem ob causam *mansus ecclesiasticus* dictus
est, continebat duodecim *bunuarium*, m) seu iugera, atque ab omni cen-
su plane erat immunis, n) quippe quo immunitatis privilegio, ut dein-
ceps videbimus, gaudet omnis dos ecclesiae dicata. Nec tamen iusto

simul addere, quod de Carolo M.
refert 'AIMONIVS in vita Ludo-
vici Pii V. 10. Volens enim, unam-
quamque ecclesiam habere proprios sum-
mus, ne per huiusmodi inopiam cultus
negligerentur diuini, inseruitque prae-
dicto edicto, ut super singulas ecclesias
MANSVS tribueretur cum pensatione
legitima, et seruo atque ancilla.

l) Plura de mansis disseruerunt
ZIEGLERVS de dote ecclesiae VII.
34. et DU FRESNE s. v. mansus.

m) cf. nota h. *Bunuarium*, siue ut
alii scribunt, *Bunnarium*, *Bunarium*,
Bunnuarium, *Buunarium*, *Bonarium*,
Bonarius etc. significasse ab initio vi-
detur *agri limites*, ut docet charta
Theodorici, episcopi *Viridunensis*, ex
tabulario S. Vitoni, ubi legitur: *fines*
et metae quos vulgo bonarios vocant;
dicitur vero etiam *agri portio* ut iu-
gerum. Vid. PAPIAS MS. ex Ist-

doro: Bunarii, mensura quaedam terrae
ut iugera.

n) Repugnari his fortasse videri
possit definitio mansi a CUIACIO
exhibita ad I. F. I. *Mansus est fun-*
dus, unde quis se et familiam suam
tueri satis commode potest, ac pro-
pterea vectigal siue censum
domino referre, et quod veter-
es dixerunt heredium. Sed Cuiacius
hic civilem seu saecularem man-
sum definire voluit, a quo dif-
fert ecclesiasticus, qui, ut diximus,
ab omni censu liber atque immunis
erat. De hac mansuum ecclesiasti-
corum a censibus immunitate agit in
primis *Cap. Car. M. l. 5. c. 45. Lu-*
dovici Pii Wormatiense anno 829. c. 4.
Caroli Calvi tit. 32. c. II. Ut de uno
manso, ad ecclesiam dato, nullus cen-
sus, neque cavalli pastus a senioribus
de presbyteris requiratur.

B